



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 5. De Titulo, Usucapionis, vel Præscriptionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

randi, seu annullandi, tam ex jure naturæ, quam positivo. Rursus num. 93. tradidit regulam generalem ad cognoscendum, quando censetur gratuitò promittens velle se obligare ex iustitia, quando ex simplici fidelitate; docet etiam, plerumque esse ex simplici fidelitate, nisi promittens expresse dicat, se velle graviter, aut ex iustitia obligari, quod raro contingit inter ordinarias promissiones. Addit Molina q. 262. num. 12. saltem in foro externo censeri intentionem fuisse ex iustitia, quando quis ex chirographo, vel scriptura publica voluit se obligare, idemque censet Meracius decisioe 2. num. 2.

658. Obijcies 2. contra secundam assertionem. Contractus in se validi, sed jure humano rescindibiles, ideo rescindi possunt, quia lex dat actionem contrahenti ad petendam rescissionem; atqui accedente juramento lex non dat talem actionem, imò vult juramentum servari; ergo ea pacta jurata rescindi non possunt; proindeque juramentò validantur, seu firmanantur. Resp. dist. maj. quia dat actionem pertinentem ad iustitiam, conc. ad religionem, nego maj. & dist. minorem, non dat actionem pertinentem ad iustitiam, nego, ad religionem, conc. minorem, & nego consequens ratio est, quia in eo casu, quamvis contractus non sint rescindendi, ne promittens peccet contra religionem, à qua graviter obligatur; at non proinde manet obligatus ex iustitia: unde firmitas talis contractus non pertinet ad iustitiam, sed ad religionem.

659. Obijcies 3. Lex loquens de contractibus metu celebratis, v. g. de promissione jurata facta latroni, dicit juramenta debere servari, saltem per solutionem momentaneam (talibus vocatur, quia facta ea solutione statim potest repeti) rursus loquens de aliis spontaneè factis, v. g. de alienatione fundi dotalis, absolute dicit, juramenta debere omnino servari; ergo in his spontaneis supponit lex juramentum accedens conferre validitatem, & fundare jus proprietatis. Resp. conc. ant. & nego consequentiam; nam intra limites solius obligationis ex religione stat rectè discrimen illud intentum à lege; quoniam merus ille injustè incussus dat causam, ut statim fiat per momentaneam solutionem, & ut facile possit juramentum relaxari à Superiore; quando verò juramentum est spontaneum, etiam si superveniat contractui, vel rescindibili, vel nulli, non adest talis causa: quare ut relaxetur ea obligatio, alia causa justa querenda est, & dum hæc inventa non fuerit, ne relaxetur juramentum, debet servari res promissa, si sine peccato fieri potest.

660. Obijcies 4. contra tertiam assertionem: qui delinquit contra legem statuentem poenam ipsò facto incurrendam, spoliatur jam jure, & dominio rerum à puncto perpetrati delicti, siquidem jam fiscus acquirit aliquod jus, ipsique Reo impediuntur multi usus rerum suarum. R. P. Gormaz Theolog. Tom. II.

rum; non enim potest dilapidare illas in foro fisci, jam expectantis sententiam; ergo ipso facto manent sub dominio, & jure proprietatis fisci. Aliqui concedunt consequentiam, quam plius habere de nomine, quam de re censent aliqui cum Raynaldo. Resp. tamen cum Molina: nego absolute consequentiam; nam quamvis fiscus vi legis patratò delictò compareret jus in re in delinquentis bonis, & hæc ipso jure maneat obligata fisco, quoad aliquos effectus, nimirum, ut alienationes deinceps factæ per delinquentem sint invalidæ; hoc tamen non procedit absolute, sed conditionarè; si nempe postea feratur sententia pro fisco, quod jus conditionatum fisci non tollit jus, & dominium à delincente ante sententiam Judicis, qua non secuta, validæ semper manent dispositiones suarum rerum, quas fecerat delinquens post perpetratum delictum: unde illud jus fisci non vocatur absolute jus in re, sed sub conditione, quòd sententiam obtineat.

Plures quæstiones moveri possunt circa ejusmodi leges, sive circa ejusmodi sententiam Judicis, quæ dici solet lex forensis adjudicans alicui dominium rei; præcipua tamen controversia, & frequens in praxi est, an, quando ex falsa præsumptione procedit Judex juxta allegata, & probata, revera illud transferat, ita ut quamvis Petrus certò sciens sententiam ex falsa præsumptione processisse, sed revera nullum habere titulum præter dictam sententiam ad possidendam rem sibi adjudicatam, possit hanc sibi retinere tutà conscientia. Censeo cum Cardinali de Lugo disp. 7. sect. 1. Petrum non posse retinere, imò teneri ad restitutionem: ratio est, quia hujusmodi sententiæ non conferunt jus, sed declarant; unde si aliunde jus non habeatur, Petrus id certò sciens absque ullo jure retinebit res illas, proindeque injustè ex mala fide: ex quo unico principio plures aliæ controversiæ decidi possunt.

SECTIO V.

De Titulo Usucapionis, vel Prescriptionis.

661. Hæc duo pro eodem solent interdum sumi, quamvis in rigore præscriptio dicatur de re immobili, qualis est domus, prædium &c. Usucapio verò de mobili, qualis est pecunia, triticum, equus &c. Definiri solet ita, acquisitio dominii rei alienæ per continuatam possessionem bonæ fidei spatio temporis, à lege definito. Est ergo usucapio, seu præscriptio titulus acquirendi dominii in re alterius; hic autem titulus dicitur translatio non voluntaria, quia fit priore Domino aut non sciente, aut non satis resistente, ac proinde non cum positiva voluntarietate. De hoc latè

latè Jurisperiti, & Theologi, quos inter Molina Tractatu 2. disp. 6. Amicus, Dicastillus, & alij.

663. Juxta definitionem ergo propositam quatuor conditiones requiruntur ad legitimam præscriptionem: prima est possessio, non modo naturalis, eo modo, quo possident depositarius, aut conductor, sed etiam civilis, quam explicavimus num. 251. & 272. id est non solum corpore, sed etiam animo; hanc enim omnino requirunt jura: ideoque nunquam possidere possunt ad præscribendum Religiosi professus, si possideat suo nomine, conductor, depositarius, usufructuarius, Tutor, Curator; quia, ut patet, suo nomine non possident, neque laicus circa spiritualia, videlicet circa jus cognoscendi causas Ecclesiasticas, neque ille, qui habet rem suæ Communitatis, siquidem non suo, sed alieno nomine rem illam possidet. Secunda conditio est titulus probabiliter præsumptus, qui nimirum probabiliter existimetur esse validus, qualis est emptio ab eo, quem nescis esse furem: unde quamvis non requiratur verus titulus in re, at sine probabiliter præsumpto non procedit præscriptio tempore ordinario; nam ad præscribendum longissimo tempore censent aliqui, hunc titulum non requiri, si aliunde adsit bona fides.

664. Quare necesse est, ut præsumptio veri tituli non oriatur ex ignorantia juris indubitati, v. g. si putares esse licitum emere à fure; tunc enim, quamvis ignorantia esset invincibilis, probabilis est, nullam esse præscriptionem, ad quam necesse est, ut si accedat ignorantia, sit ignorantia facti, ut si nescias furem esse illum, qui vendit: unde in eo casu probabile etiam est, posse præscribi fructus; non autem rem ipsam furtò sublatam, eò quòd in primo casu sit ignorantia facti, asserens titulum probabiliter præsumptum; in secundo casu est ignorantia juris impediens illum titulum præsumptum. Scio circa hanc, aliasque conditiones esse plures controversias apud Doctores, quæ ad nos non attinent; sunt enim propriè Juristarum, & Canonistarum; ad nos quidem tantum spectat quærere, quid operetur præscriptio præsuppositis conditionibus à lege præscriptionis præfixis. Porro ad res Ecclesiasticas non debet allegari titulus, si possessio sit temporis immemorialis, in cæteris necesse est probare titulum, quando possessio est minor triennali, seu triginta annorum.

665. Tertia est bona fides possidentis, id est, ut ille prudenter existimet, rem illam, quam possidet, non esse suam, vel certè illam non esse alterius; mala autem fides, cum existimas, illam esse alterius, quam tamen tu interim servas, nullam parit præscriptionem, ut fatentur omnes Doctores, & affirmant omnia jura, juxta notissimam illam regulam juris in 6. *Possessor male fidei nullo tempore non præscribit*, approbatam ab Alexandro 6. C. *vigilanti*, Tit. de *præscriptionibus*, ubi notant

accuratè Doctores, quòd dubitatio, qua judicare prudenter non potest certò, vel probabiliter, quòd res illa sit sua, non potest inchoare præscriptionem, neque illam continuare. Rursus mala fides antecessoris nocet successorì immediato universali, hoc est hæredi, ita ut sicut antecessor, sic talis hæres non possit præscribere, licet habeat bonam fidem, si non habeat alium titulum, quo rem illam posset præscribere, ut si eam emisset, vel redemisset; ratio est, quia talis immediatus hæres universalis ita juxta leges repræsentat eandem personam defuncti, ut succedat in omnes ejus obligationes, & onera, quam quidem repræsentationem ex legibus non habet hæres mediatas; tum etiam conscientia erronea impedit præscriptionem, ut colligitur ex L. *si fur*, ff. de *usucapionibus*. Nec refert, quòd circa istam conditionem sint etiam aliqua dubia inter Doctores circa ea, quæ requiruntur ad hanc prudentem probabilitatem; nam ad securitatem conscientie, de qua agimus, necesse est, ut adsint ea, quæ ad bonam fidem possidentis requiruntur.

Quarta conditio est continuatio possessio-
nis per certum aliquod tempus non interruptum, & à lege definitum, quòd quidem diversum est pro rerum diversitate; si autem interruptatur tempus, tunc dormire dicitur præscriptio, non cessare: quale autem tempus præscribant leges, ita explicatur communiter à Doctorebus: res mobiles præscribuntur triennio inter præsentès, qui nimirum in eadem Urbe commorantur; quadriennio inter absentes, qui nempe extra civitatem, & territorium degunt: res immobiles decennio inter præsentès, & vicennio inter absentes. Hæc intellige stantibus titulis, & bona fide; nam si sola sit bona fides absque titulo, ut contingere potest in rebus furtivis, requiruntur triginta anni ad præscribendum, tam mobilia, quam immobilia ex jure communi. Excipe res immobiles Ecclesiæ Romanæ, quæ si præscribi possunt, requirunt centum annos, res aliarum Ecclesiarum, aut aliorum locorum quadraginta, aliquarum Religionum sexaginta, propter specialia privilegia. Quæ omnia sic universaliter proposita plures habent limitationes; nam circa pupillum v. g. nunquam currit præscriptio; contra minorem non currit, nisi triennis; circa Principem non currit præscriptio, nisi centenaria circa ea, quæ Coronæ annexa sunt; contra Civitates annis quadraginta præscribitur: si verò vendita res est, donata, vel per ultimam voluntatem relicta, præscribitur tantum annis centum. Valer hic etiam regula illa celeberrima Cancellariæ de pacifica beneficii possessione per triennium, quòd nimirum, si non sis intrusus, aut simoniacus, & pacificè possederis triennio toto beneficium, quòd tamen ad alium pertineat, tunc illud incipiat esse tuum, neque

neque in illo molestari possit, ut docent Sanchez lib. 1. Confilior. cap. 1. dubio 2. & Cardinalis de Lugo disp. 7. quæst. 7.

667. Hæ sunt conditiones, quæ ad legitimam præscriptionem requiruntur, & modi in illis conditionibus servandi, qui quidem plures controversias excitârunt apud Doctores, præsertim Canonistas, & Juristas; Nos autem, ut supra dixi, ab illis præscindimus, & tantum quaerimus pro foro conscientie, an legitime transacto tempore præscriptio per leges ad præscriptionem cum conditionibus præscriptis ab ipsis legibus, verè transferatur jus, & dominium rei alioquin alienæ in præscribentem in foro conscientie; ita ut res illæ sic præscriptæ maneant tuæ tutæ conscientie, etiam si postea certè noveris illam esse alienam, & absque vero titulo, & consensu prioris Domini tibi obvenisse. Negant aliqui apud glossam C. vigilanti ex regula juris 48. locupletari non debet quis cum alterius injuria, vel jactura; & ratio esse potest, quia fundamentum præscriptionis est bona fides: siquidem lex peccato non favet; atqui bona fides cessat, ubi cognoscitur rem esse alienam: ergo quantumcunque præscriperis, non potes tu eam retinere tutæ conscientie. Alii verò cum Adriano, & Medina apud Amicum censent, præscriptionem tunc solum valere in foro conscientie, cum supponit culpabilem negligentiam recuperandi rem suam; quia lex præscriptionum, inquit, est lex pœnalis: unde solum potest spoliare priorem Dominum jure suo in pœnam, quando habuit culpam. Secunda tamen sententia est communis, quam defendunt Cajetanus, Sorus, Molina, Lessius, & Cardinalis de Lugo disputatione 7. q. 7. docet, præscriptionem legitimam pro utroque foro juvare, & liberare ab onere restituendi rem legitime præscriptam.

668. Affero cum secunda sententia: præscriptio legitima pro utroque foro juvat ad retinendam bonâ conscientia rem legitime præscriptam. Probat 1. Possunt leges, quando expedit bono communi transferre dominium ex uno in alterum, etiam sine culpa Dominorum, tum ad vitandas lites, tum ne incerta tamdiu maneant rerum dominia, tum ad placandas conscientias, quod certè negari non potest, si leges illæ approbatæ sint per SS. Canones; sed tales sunt defecto leges de legitima præscriptione; ergo legitima præscriptio pro utroque foro juvat ad retinendam bonâ conscientia rem semel præscriptam. Probat 2. min. Nam leges de præscriptione significant re ipsa acquisitionem dominii per legitimam præscriptionem; sic enim ait L. 3. ff. de usucapionibus: usucapio est dominii acquisitio per continuationem temporis lege definiti; & L. 1. eod. tit. introducta est usucapio, ne diu, & ferè semper incerta essent rerum dominia. Quod autem leges istæ approbentur à Jure Canonico, exinde infertur, quod Jus Canonicum solum reprobat præscriptionem.

R. P. Gorman. Theolog. Tom. II.

nem cum possessione malæ fidei; unde à contrario sensu videtur omnis alia præscriptio legitima approbari. Quin potius id clarè videtur colligi ex Lateranensi Magno relato cap. fin. de præscriptionibus, ubi ideo reprobat præscriptio cum mala fide, quia lex illam approbans non posset absque peccato mortali observari: en Concilii verba; quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, Synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio tam Canonica, quam Civilis, cum generaliter sit omni constitutioni, & consuetudini derogandum; quæ absque peccato mortali non potest observari; unde oportet, ut, qui præscribit, in nulla temporis parte habeat rei alienæ conscientiam; quibus verbis reprobat ea præscriptio, quæ est contra conscientiam possessoris, & approbatur præscriptio, quando bona fides semper duravit; unde supponitur, quod usus talis rei ex vi præscriptionis non constituat hominem in statu peccati, aliàs observantia illius legis non retineretur; ergo &c.

669. Probat 2. Si leges de legitima præscriptione tantum essent pro foro externo, non fuisset per illas bene provisum bono communi; non enim deservirent ad sedandas, sed ad illaqueandas conscientias; si enim, ut volebat Adrianus, requireretur culpa ex parte Domini, maxima exinde orirentur dubia, & angores scrupulorum in possessore ad judicandum, vel investigandum de culpa Domini, ut posset rem legitime præscriptam licitè retinere; unde sic instauratur argumentum: leges de præscriptione vel ideo tuentur possessorem post illud tempus adversus Dominum, quia in dubio præsumunt Domini culpam, vel non; si non præsumunt Domini culpam, quomodo possunt tueri possessorem allegantem præscriptionem, si præscriptio non det ullum verum jus ad illa bona? certè Reus non potest aliter se justè defendere, nisi opponendo Domino aliquod jus verum ad id, quod petitur. Si verò dicas, leges præsumere aliquam culpam in ambiguo Domino, cur possessor etiam non posset eam in dubio præsumere? Cæterum talis præsumptio neque à lege, neque à possessore asseri potest cum fundamento, proinde impertinens est ad transferendum dominium; non enim est culpa in Domino non recuperasse rem suâ, cum ad id nullo præcepto teneatur, & multò minùs potest esse culpa mortalis, qualem Adrianus exigit ad valorem præscriptionis; ergo ad transferendum dominium per præscriptionem non requiritur culpa in priori Domino. Confirmatur. Lex humana de præscriptione, quæ propter bonum commune potuit sine culpa prioris Domini transferre dominium in illum, qui legitime præscripsit, nullam exigit culpam in priori Domino, sed tantum innuit, id fieri propter publicum bonum, ne dominia maneant incerta, ut constat ex L. citata à num. 668. atqui finis iste non obtineretur, si

desideraretur culpa in priori Domino, quandoquidem tunc magis incerta manerent dominia propter incertitudinem talis conditionis; ergo &c.

SECTIO VI.

Solvuntur Opposita.

670. **O**bjicies 1. Si translatio domini per legitimam prescriptionem adeo expediens est ad bonum publicum, ex natura rei, & ante omnem legem positivam, haberet prescriptio hanc vim transferendi dominium; atqui ante legem positivam dominium non transfertur; ergo non transfertur dominium per legem, eo quod sit expediens ad bonum commune, sed in penam prioris Domini, proindeque res legitime possessa non poterit tutâ conscientia retineri, si in priori Domino non præcesserit culpa. Resp. neg. maj. quia aliud est, quod lumen naturæ dicit, hoc esse valde conveniens, simulque expedire, ut lex positiva statueretur, & aliud est, quod res aliqua maneat jam ante legem positivam devincta in commodum libertatis alterius, ad eum modum, quo dixi de divisione rerum in Municipiis à num. 310.

671. Hæc autem devinctio non habetur ex ea convenientia, sed ex lege, quamvis ea convenientia aliquatenus inclinet ad eam legem faciendam; cum autem hæc devinctio requiratur ad jus proprietatis, ut num. 179 exinde non transfertur dominium ex illa convenientia ante legem positivam, quin potius hæc convenientia non est ex illis, quæ omnino necessaria sunt ad humanum commercium, licet alioquin utilis sit; unde lex ista est de jure positivo, & non de jure gentium; quamobrem humana lex plures casus excipit, in quibus prescriptio non habeat talem effectum, quia ab ea convenientia non vult in illis casibus induci ad legem stabiliendam. Aliquos etiam excipit, in quibus, ut supra dixi, longius tempus requiratur, & aliquando fortasse posset in aliqua Republica magis expedire, quod prescriptio vel nullam, vel saltem tantam vim non haberet; quare oportuit, ut rei hujus determinatio legi positivæ relinqueretur, à qua omnes circumstantiæ partiales considerari possent.

672. **O**bjicies 2. ex C. *vigilanti de prescriptionibus*, ubi Alexander III. dicit, leges propter vitandam segnitiam intulisse prescriptionem; ergo supponit esse in penam Domini negligentis, ac proinde prærequiri culpam. Resp. dist. ant. propter segnitiam vitandam involventem culpam, neg. antec. involventem aliqualem carentiam diligentiae saltem, ut in pluribus, omitto antec. & nego consequentiam; quia lex de prescriptione attendere potuit ad excitandam in Dominis diligentiam in

servandis rebus suis, quæ certe excitatur, si sciant se res suas amittere per legitimam alterius prescriptionem; quamvis carentia illa diligentiae nulla esset culpa, voluit tamen lex, ut Domini magis attenderent ad res suas custodiendas, quas plures per segnitiam amittunt dando alteri prescriptionem. Voluit etiam lex, ut magis attenderent Domini ad excolendos agros, ad habendam curam de domibus, & ædificiis, aliisque rebus, ne interim propter eorum incuriam ab aliis occuparentur, & prescriberentur, quin potius lex, & Pontifex non unam tantum, sed duas rationes assignant, unamquamque sufficientem ad legitimam prescriptionem translativam juris, quarum altera est propter vitandam segnitiam, altera propter evitandum longi temporis errorem, & confusionem: unde licet deficiat segnitia Domini, manet sufficiens ad transferendum dominium per legitimam prescriptionem ex intentione evitandi incertitudinem domini, quæ ex diuturnitate temporis provenit.

Objicies 3. Quando Judex per sententiam falsæ presumptionis innixam adjudicat rem alicui, non obligat sententia in foro interno, nec potest, qui veritatem scit, rem sibi adjudicatam retinere, ut dixi num. 661. ergo neque prætextu prescriptionis liberatur possessor à restitutione, quando scit rem verè ad alium pertinere ante prescriptionem, illumque sine culpa spoliare. Confirmatur 1. ex regula 48. citata num. 667. & ratione ibi subjuncta, quæ non videntur stare posse, quin jus prescriptionis cesserit, ubi advenit cognitio de dominio prioris Domini; ergo &c. Confirmatur 2. Lex de prescriptione est pœnalis; ergo sine culpa prioris Domini non transfertur dominium. 3. concedo antecedens, & nego consequentiam, quia, ut dixi eo num. citato, Judex non potest conferre dominium, sed declarare, quis juxta leges sit verus Dominus: at Princeps potest ob bonum publicum applicare prescribenti dominium rei; nec facit id ob culpam Domini, ut dixi, sed propter commune bonum, & Reipublicæ pacem.

Ad primam Confirmationem nego secundam partem antecedentis, nimirum prescriptionem stare non posse, nisi ut intendunt Adversarii: dico enim, eam stare juxta prescriptum legum: nam regula illa juris docet, alium locupletari non posse cum alterius jactura, nisi iusta de causa ob publicum bonum exigatur lege Principis; sic enim potest quis absque culpa spoliari dominio rei suæ. Rursus quamvis fundamentum prescriptionis sit bona fides durans toto tempore à lege definito, at eo elapso non officit jam notitia, quod res illa fuerit aliena, tunc enim ea notitia jam non generat malam fidem, cum in eo casu supponat rem illam titulū prescriptionis factam jam fuisse propriam prescribentis. Ad secundam Confirmationem nego. ant. quia, ut constat à num. 668. non requiritur culpa ad trans-

latio.